SACRA NOVENA

S. PHILUMENÆ

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Neapolis

EX TYPIS XAVERII GIORDANO

1838

D. O. M.

Actiones nostras, quaesumus Domine aspirando praeveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, et operatio a te semper incipiat, et per te caepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sit Tibi laus, Tibi honor, Tibi semper gloria, o sancta, divinaque Trinitas. O quam admiranda in servis tuis! Te nunc humiles deprecamur, ut magno nobis usui sint inclytae Virginis, et Martyris tuae Philumenae merita. Te semper venerari, Te digne semper honorare profitemur in terris, ut inde tantae Virginis, et Martyris auxilio adjuti, ad caelestem

assequendam haereditatem, et gloriam aeternam inveniamur idonei. Amen.

Deus in adjutorium meum intende.
℟. *Domine ad adjuvandum me festina.*
Gloria Patri etc.

I.

Jam tandem eruta e tenebris, quibus diu admodum delituisti, veluti recens divinae gloriae lumen, nuper orta es, o sancta Virgo, et Martyr Philumena, ut nova tuarum virtutum luce undique diffusa totum terrarum orbem illustrares. In Te sane nos veram imaginem caelestis sponsi Jesu Christi intueri videmur. Ut enim hic carne nostra amictus miserum genus hominum e peccati tenebris vindicavit novam cunctis praebens vitae agendae rationem exemplo suo; sic tu tot jam ignota saeculis vix christiano orbi Te praebuisti, cum verae religionis tramitem cunctis terendum fidelibus ostendens illorum omnium dejectos animos innumeris prope prodigiis erexisti. Nos potenti tua apud Deum intercessione confisi, non modo certi sumus ab errorum tenebris abscedere, et ab hujus saeculi pravitate mentem nostram

custodire, sed ad aeternam quoque caelestis patriae gloriam hilariori semper animo posse contendere. Amen.

Pater, *Ave*, *Gloria*.

II.

Tu, o Philumena, Christianae nostrae religionis Virgo, et Martyr illustris, cunctorum fidelium gregi fac nunc gloriosior innotescas illa praesertim animi puritate, quae in Te summopere emicuit, et corporis castimonia, quam Christo Salvatori nostro devovere studuisti. O quot passa es flagella, quot saevissimos cruciatus! Ex alto aquarum profluvio Angelorum mynisterio extracta divinitus, et duro postea enecata ferro aeternam tandem gloriae coronam, justum dilectionis tuae praemium amplissimum, recepisti. Si tanto nunc honore refulges, et tanto Te decoratam praemio colimus, eamdem nobis vim, virtutemque exorato, ut spretis constanti fide omnibus hujus mundi illecebris Deo, Tibique profitemur quaecumque mala potius, ipsamque mortem nobis esse subeundam, quam nostram inquinare animam quam levissimo crimine. Amen.

Pater, *Ave*, *Gloria*.

III.

Hoc unum a Te enixe petimus, et peculiari modo precamur, o sancta Virgo, et Martyr Philumena, ut in nos, ut in universum Christi Domini gregem largius diffundatur per Te caelestium omnium copia gratiarum. Has omnes Deus omnipotens Tibi adhuc in terris degenti conferre voluit, quibus nunc Te cumulatam admodum alacri animo admiramur in caelo. Quot nos quotidie recensemus a Te patrata prodigia, dilecta Christi Sponsa, divinae caritatis victima, et verae nostrae, sanctaeque fidei propugnatrix egregia! Tu nunc una cum Angelis aeterna illa beatitudine frueris, quam vehementer concupisti. Fac te semper experiri nobis liceat apud Deum conciliatricem, atque in adversis, quae nobis ingruunt, patronam praesentissimam, qualem hodie Te scilicet seligimus, salutamus, et canimus. In rebus omnibus, quibus nobis opus est, ostende Te semper quantum potes, quantum vales in caelo. Quiquid bono nostro fore cognoveris, fac per Te facilius consequamur, per Te corporum sanitatem, per Te potissimum animarum salutem. Tu sancta Virgo, et Martyr, Tu nos a

dura demonis servitute defende, et tuere; Tu demum effice, ut beatam aeternamque vitam assequeremur, quam auxilio, quam ope tua praestantissima adipisci confidimus. Amen.

Pater, *Ave*, *Gloria*.

ORATIO.

Merito Te cuncti, o Philumena, canunt gloriosam Virginem; merito Te cuncti colunt inclytam Martyrem. Tu enim posthabitis regalibus nuptiis, Tu spretis omnibus mundi illecebris virginitatis tuae candorem illaesum servare studuisti, et morum integritate, animique constantia ipsam mortem impavida lacessens confirmasti omnia divina praecepta, quae lacte ipso ex infantia exsuxisti. Tu igitur vivens toties Te Deo devovisti, quoties pro eo pati omnia voluisti, et post acerrima tui corporis, atque exquisita tormenta assequta tandem es expetitam immortalitatis coronam. Et si tot, tantisque miraculis a caelesti sponso tuo Christo dignis merita tua praemiis affecta esse vidimus, id certe contigit, ne lateret homines quam cara Deo es, quam Angelis admirabilis jam constituta omnium, qui Te colunt, patrona potentissima. Quorum in numerum fac, quaeso, nos quo-

que referas. Nos quoque Tui devotissimos ea benignitate, qua soles, intuere, et defende, o Virgo, et Martyr Philumena, in magnis, gravissimisque periculis constitutos. Ea insuper omnia nobis elargire, quibus indigere praenoscis. Da potissimum, o gloriosa Virgo, ut efficaci tua intercessione quam citissime e peccatorum vinculis exolvamur; da, Martyr inclyta, ut in angustiis, et tribulationibus, quibus premimur, et fides in nobis erga Deum, et caritas erga proximum increscat in dies. Tuere summum totius Ecclesiae Christi Pastorem, Pontificem nostrum: omnes christianae religionis Principes in tuam tutelam recipe: recipe Ecclesiam universam: recipe Jesu Christi electissimum gregem. Ita tanta patrona gaudentes nimium, laeti semper, fortique animo tua sancta vestigia prosequentes in aeternam tandem ingrediamur requiem, in quam ingrediendi potestas erit omnibus tuo praesertim peculiari praesentique patrocinio. Amen.

HYMNUS

S. PHILUMENAE

V. ET M.

Te contemnentem saeculum,
Te sauciam vulneribus,
Te nunc onustam gloria,
O Philumena, pangimus.
Ave; redundas meritis
Dum spernis terrae imperium,
Dum gemis, dumque sustines
Pro Christo agones plurimos.
Ave; in triumphis caelitum,
Æterni in Sponsi amplexibus,
In signis, et virtutibus,
Virgo, refulgens gloria.
Praesta, Beata Trinitas;
Æmuli ut tantae virgini
Haec concinentes carmina
Tibi feramus gloriam. Amen.

ANTIPHONA.

O splendida, ac dilectissima sponsa Christi Filii Dei, et omnibus Angelis, et Archangelis grata, ut nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus, exoramus, ut ille nobis per Te tribuat indulgentiam, qui Tibi omnium tuorum laborum tradidit palmam.

℣. Ora pro nobis, S. Philumena.

℟. Ut digni efficiamur etc.

OREMUS.

Beatae Philumenae, quaesumus Domine, meritis adjuvemur, quae caritatis ardore succensa post centenos fructus, quos virginitate sua messuit, etiam martyrii coronam magna cum gloria reportavit. Per Dominum nostrum. Amen.

ORATIO

Ad obtinendam quamdam peculiarem gratiam.

Salve, o nimis beata, salve, omnibus admiranda Virgo, et Martyr, patrona nostra sancta Philumena. Tibi quidem serventissimo illo tuo in Deum amore datum est intelligere omnia; Tibique malorum colluviem providere, quibus

nos heic in terris misere jactamur. Dum Tu nunc in caelestibus versaris gaudiis, dum Te cunctis potentissimam ostendis Virginem, et Martyrem Domini, converte, quaeso, tuos in me oculos, et perspice quot, quantisque calamitatibus urgeor; quot, quantaeque sunt versuti hostis, quas mihi molitur, insidiae. Quae tua in Deum caritas est nimis ardens, et aestuans, impetra mihi nunc, quod ex animo a Te postulo (*heic exprimitur illa, quam sancta Virgo, et Martyr rogatur, gratia*). Fac hujus voti compos sim, o inclyta Virgo, o gloriosa Martyr Philumena, illis caelestibus deliciis, quibus frui a prima tua aetate Tibi licuit. Quarum suavitate allecta nullo quidem negotio optimum Tibi duxisti mendita, et falsa omnia hujusce mundi despicere: fac hujus voti compos sim cruciatibus illis, quibus humana saevitia in Te usa est, ut ita contemptui corporis tui castimonia, animique verecundia, et despicatui sibi foret sancta Christi religio. Hoc, quod rogaris, mihi impetra illis praesertim virtutum meritis, quibus Te nunc in caelo tam large remuneratam Christus voluit. Tu praesto semper, Tu benigna maxime illis esto, quorum voces, quorum preces, qui tuum expetunt auxilium, non recusas. En ego etiam ad Te confugi, sancta Vir-

go: in Te spem meam totam contuli, o Martyr inclyta: hac in re noli me deserere; auxiliare mihi, precor, Tibi supplicanti. Sit, o sancta Virgo; et Martyr, haec caeterarum gratiarum veluti praerogativa, ita, ut quo magis me Tibi devotum in terris esse profiteor, eo magis potestas augeatur in me, qua Tibi socius in caelo possemesse perpetuus. Amen.

RESPONSORIUM.

Fidei, speique Virginem,
Ac caritatis columen,
Nunc Philumenam Martyrem
Omnes precemur supplices.
O Philumena, miseros
Audi benigne; funera
Omnia repelle; mentibus
Esto tutamen, corpori.
Omni mederis vulneri,
Quae vulnerata corruis;
Omni te praebes facilem,
Quae vitam vivis, Numinis.
O Philumena, miseros etc.
Per te sit Patri gloria
Decus sit tecum Filio,
Spiritui settemplici,
Quae regnas tota amabilis. Amen.

ANTIPHONA.

O Philumena, tota amabilis, tota lumen, suavitate plena, virginitate florens, cruce germinans omne delectamentum caritatis, cum Christo regnans, fac nos te perfrui, te sectari, te sequi in pace, et caritate.

℣. Gloria, et honore coronasti eam, Domine.

℟. Et constituisti eam super opera manuum tuarum.

OREMUS.

Deus, qui ineffabilis pietatis tuae clementia ineffabiliter Sanctis tuis fidem reparas, et defendis: concede propitius, ut sicut beatae Philumenae Virginis, et Martyris tuae insignia facias coruscare prodigia, ita nos in lucem claritatis ejus currentes, ad vitam perveniamus aeternam. Per Christum Dominum etc.

HYMNUS.

Deo fidelis victima
Transfixa dira cuspide,
Tu decus, et praesidium,
O Philumena Virginum.
Te mare vinctam ferreo
Dente suscepit anchorae;
Spes te revexit littori,
Quod omne circum floruit.
Arcus, flagella atrocia
Casto ingruebant corpori;
Alto delapsus aethere
Ales remulsit vulnera.
Te mare vinctam etc.
Saeva securis nobile
Caput, proh scelus! amputat:
Caesumque nobis munera
Expostulat caelestia.
Te mare vinctam etc.
Æqua sit Patri, et Filio
Summo laus Paraclito,
Qui corda adurit virginum,
Sanctoque firmat Spiritu. Amen.

HYMNUS.

Astra, quae terram proprio madentem
  Sanguine exhorrens Philumena, scandis,
  Si qua te nostri pietas, precantum
          Annue votis.
Dum tibi donis cumulata centum
  Ara votiva recalet favilla,
  Virgines circum, puerique laeto
          Carmine plaudunt.
Te nec instantis rabies tyranni
  Mente dejecit solida, immerenti
  Sive, ni Christo renuas, minatus
          Vincula collo;
Sive plumbatis laceranda loris
  Terga nudarit, mediove casta
  Missili metam dederit sagittae
          Pectora circo.
Perstat insano velut icta ponto
  Fluctuum cautes rabiem refringens,
  Vis tibi haud impar, Philumena, mensque
          Nescia flecti:

Unicum coelo profitens tonantem
  Barbarae collum subjicis bipenni, et
  Ima despectans, comitante scandis
    Sidera Sponso.

Hic Patri trinam, Genitoque, et almo
  Flamini laudem recinens bearis;
  Subditas has, Tu, placido tuere
    Lumine terras.